



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Horologium Spirituale Scholasticorum Societatis Jesu

Dirckinck, Johann

[Osnabrugi, 1696

XVI. Reddendi rationem Conscientiæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55025)

vare poteris amorem erga Regulas, tanquam gradus totidem Scalę Jacob ad perfectionis apicem & cœlum deducentes.

VI. Hac ratione imaginem Christo Domino simillimam exprimes, in quo mirificè tota vita, à cunis ad crucem eluxit Hyacinthus paupertatis, Byssus retorta, ideóque infracta & inviolata castitatis; Purpura obedientię & patientię in summis laboribus & doloribus usque ad mortem. Denique coccus bis tinctus ardentissimę charitatis erga Deum & proximum. Quę omnia, ut pulchriora redderet aureo divinitatis colore, valorem infinitum addeunte illustravit.

PRAXIS XVI.

Reddendi rationem Conscientię.

Nota I. Rationem conscientię à S. P. N. præscriptam esse unum ex substantialibus & præstantissimis, & maxime necessariis mediis ad bonum Regimen & conservationem Societatis.

Nota II. Discrimen inter confessionem generalem & rationem conscientię est, primò in fine diverso, illa enim tendit ad

cla-

clariorem cognitionem & expiationem peccatorū; hæc aperit defectus, propensiones, tentationes, virtutes ad meliorem directionem. Deinde discrimen est in modo, quòd in confessione peccata & etiam peccatorum circumstantiæ aperiendæ: in manifestatione autem hac satis est dicere, quæ integrè profectum seu defectum animæ & statum interioris hominis manifestant.

Nota III. Licet S. Fundator liberum reliquerit sub sigillo confessionis vel extra illud conscientiam manifestare; laudabile tamen est extra confessionem reddere, ut Superiores liberiùs & utiliùs dirigant & gubernent ad majus Dei obsequium.

Nota IV. Modum manifestandi esse in examine cap. 4. §. 4. à S. P. N. præscriptum, ut cum magna humilitate, puritate & charitate fiat. Tria enim impediunt hanc manifestationem, Superbia, profunditas, seu defectus candoris & charitatis; inanis timor incommodi secuturi. De quibus P. Claudius in Industria. c. 9. quibus opponuntur humilitas, puritas, charitas. Neque enim Judici, sed Patri datur ratio à quo consilium, auxilium & solatium

tium redditur : & sine quo Diabolus, qui est spiritus tenebrarū, ostium apertum reperit, animam suis persuasionibus irretiendi, & in tentationes gravissimas inducendi, à quibus periculis sincera manifestatio præservat, & liberat.

Nota V. Tempus, quo ratio conscientię reddi solet, est. 1. Initio ingressūs Societatis de tota vita. 2. Sexto quoq; mense ab ultima inchoando. Reg. 4. Summ. 3. Absolutis studiis initio tertii anni ab eo tempore, quo missi ad studia, vel de tota vita. c. 4. Exam. §. 39. 4. Circiter 30. dies ante professionem & ultima vota l. c. §. 38. 5. Professi & formati singulis annis c. 4 §. 40. Et quoties præterea Superiori visum fuerit. 6. p. Const. c. 1. §. 2.

PUNCTA

De quibus reddenda ratio conscientia.

Sen eorum explicatio ex P.

Lancicio.

AD I. Punctum, aperi, an sis contentus vocatione, officio, loco, gradu, vel an aliquid aliud sit, quod te malè contentum reddat.

Ad

Ad II. Dicendum 1. quæ servata vota ; & lapsus indicandi. P. Mutius Anno 1629. rescripsit etiam cogitationes mortales saltem in genere aperiendas. 2. An & qualem molestiam in eorum observatione sentias, vel facilitatem in iis, quæ præscripta sunt, vel per regulas, vel per ordinationes Superiorum, circa scholas, disputationes, conciones, catechismos, confessiones audiendas & similia. 3. Quibus potissimum virtutibus intentus sis, & quibus modis : qua in re duo dicenda : Primum, an verè incumbamus virtutibus solidis, quinque præsertim, puritati conscientie, humilitati, patientie, obedientie, charitati erga proximos. Quod cognoscitur ex occasionibus ultro oblatiis : si dum contemnimur, non ægrè ferimus, si dum aliquid patimur, non irascimur. Si dum imperatur aliquid amori proprio ingratum, exequimur sine amaritudine ; si dum Frater aliquid à nobis petit, quod possimus præstare sine violatione divinæ vel humanæ Legis, libenter facimus : si peccata cavemus. Secundo id cognosci potest ex occasionibus quæsitis, si datâ opera quærimus materiam & occasionem

exercendi actus harum virtutum. Secundum quod manifestandum est, an in his virtutibus profecerimus, hoc est, an peccata pauciora committamus quàm antè sex menses vel annum; an simus magis humiles, magis patientes, magis obedientes & charitativi, quàm ante sex menses vel annum.

Ad III. Dicenda sunt quatuor 1. Perturbationes seu amaritudines, ut sunt diversè à tentationibus; multi enim inquietudinem sentiunt & non tentantur; ubi causæ perturbationum aperiendæ sunt, & quàm diu durent, & quàm sint vehementes. 2. Tentationes molestæ aperiendæ sunt, quæ & vehementer concutiunt hominem & sunt periculosæ, uti sunt contra fidem, contra obedientiam, in exequendis quæ iussa sunt, contra vocationem, incitantes ad deserendam Societatem; contra modum gubernandi vel procedendi Superiorum, contra Constitutiones. 3. Qua facilitate vel difficultate resistat tentationibus & perturbationibus, & per quæ media. 4. Ad quæ peccata sit magis propensus, non quomodocunque; sed cum quali

inclinatione & acri incitatione, sive ex natura sive ex pravis peccatorum habitibus contractis in sæculo, orta: quod potissimum manifestandum est, dum in occasionibus missionum, vel visitationibus sceminarum ad periculum incontinentiæ adducunt.

Nota hic non satis esse propensiones & tentationes aperire; sed ipsa etiam peccata explicanda esse (quod innuitur illis verbis, re nullâ, quâ Dominum offenderint, celatâ) intellige genera singulorum, id est, ut in genere tantum lapsus indicentur: v. g. succubui in hoc, illòve rarò, aut saepe. P. Claudius & P. Mutius saepe ita responderunt. Anno 1584. & 1606. Quod etiam casus reservatus sit aperiendus, licet quis sit ab eo absolutus, rescripsit P. Mutius Anno 1607. Sufficit autem hoc fieri Superiori mediato, ut idem Anno 1613. resolvit.

Ad IV. Punctum verba ad literam accipienda.

Ad V. Duo manifestanda. 1. Quomodo ejus judicio arrideat Societas, & media, quibus utitur. 2. Quem Zelum in se sentiat, quod cognoscet ex his. 1. Si sentia

tiat in se ardens desiderium abstrahendi homines à peccatis & domi & per missiones, desiderando audire multas confessiones, præsertim eorum, qui sunt majoribus peccatis onusti, ut sunt ordinariè viri maturi potiùs, quàm fæminæ aut pueri. 2. Si dum audit offensas Dei, sentit in se dolorem sensibilem de offenso Deo: ob quandam commiserationem, quod tanta Majestas tam indignè tractetur. 3. Si ardentè cupit, ne Deus etiam venialibus peccatis offendatur. 4. Si eo fine se sentit ad conversandum cum aliis impelli, ut per colloquia, eos à peccatis avellat, & in bono promoveat. 5. Si habeat magnum desiderium ad doctrinam christianam tradendam. 6. Si magis propendeat ad audiendas confessiones rudium, qui minùs divina nôrunt, & magis ope nostra egent.

In VI. & VII. puncto verba, sunt clara.

Ad VIII. Fructus ex rebus nominatis solent esse hi. Diminutio peccatorum; si non labamur in tam gravia, ut antea: item si in levia rariùs labamur: si sentiamus majorem peccati horrorem, quàm antea: si res præscriptas à Superioribus & regulis meliùs

lius faciamus, quàm antea: si minùs perturbemur aduersitatibus, quàm antea: si eas nunc optemus magis quàm antea: si nunc magis placet vocatio ad religionem, quàm antea: si auersiones erga aliquos jam cessarint: si tentationibus acerbis minùs nunc infestemur, & sentiamus maiorem vim ad iis resistendum: si dictamina aliqua malè contra Superiores vel Institutum fomentata, nunc cognitâ eorum fallaciâ, ejecta sint ex animo: si major indifferentia ad loca, officia, gradus, personas nunc habeatur: si major promptitudo & facilitas ad obediendum sine ulla exceptione sentiatur: si in conversando nunc major modestia, gravitas & ædificatio, & verè sacerdotali statui & religioso conveniens agendi modus & cum domesticis & cum externis seruetur: si magis sincerè & confidentiùs nunc agatur quàm antea cum Superioribus & Patribus spiritualibus: si majus desiderium nunc sit orandi diutiùs temporibus permissis ab obedientia: si major & facilior devotio sentiatur in rebus divini cultûs: si aliqua periculosa familiaritas cum aliquo murmuratore, vel aliter

in-

inescane affectum nostrum, rescissa sit, vel saltem imminuta.

Ad IX. Punctum. 1. non tam eadem puncta repetenda sunt, quàm an in iis plus profecerimus, quàm ante sex menses vel annum. Hærent hic aliqui, dubitantq; num profecerint, vel defecerint; at ex prædictis ad punctum octavum facile patebit dubii resolutio. Et si quis conetur opera quotidiana exactè obire, ordinariè proficit. 2. An ardens desiderium sit perfectionis, & an conjunctum cum adhibitione mediiorum & qualium & à quanto tempore.

Ad X. Dicendum quæ regulæ violentur à te sæpius, & quâ occasione, ut ad eam tollendam te Superior eam sciens, adjuvare queat: qualis est cohabitatio in eodem cubiculo, comitari aliquem ad catechismum &c.

Ad XI. Declaranda sunt 1. Mortificationes sensuum & passionum, habituúmque pravorum. 2. Opera pœnosa, eorum numerus & tempus. 3. Opera humilitatis. 4. Præparatio ad injurias in eo sita est, si quis eo fine meditetur passionem & injurias Christi, ut imitetur & desideret eas: si in
mi-

minoribus patienter ferendis, se disponat ad graviores; si pressus aliquâ molestiâ, vel parvâ injuriâ, propter illam Deum non offendat: si de nulla adversitate coram aliis conqueratur: si nec internam propter talia admittat perturbationem: si non quærat levamen adversitatis, vel crucis: si gaudeat dum aliquid patitur; præsertim absq; culpa sua vel causa: si crucum auctores & cooperatores amare studeat, beneficiûque afficiat; ac deniq; si ad declinandum cruces, molestias, adversitates, non subterfugiat illa loca, personas, officia, ex quibus cruces oriuntur. Hæc sunt certissima signa profectus in an ore crucis, optinâque præparatio. Atque ex his, an & quantum tibi sit crucis Christi desiderium facile perspexeris.

Ad XII. Manifestanda sunt quinque.

1. An converseris cum aliquo, qui tibi sit occasio violandi regulas. 2. An converse-
ris cum aliquo instillante tibi prava di-
ctamina vel consilia contra vocationem,
aut contra Superiores vel Magistros, aut
contra charitatem vel perfectum vivendi
modum, ad laxitatem inclinando. 3. An

videris aliquid scandalosum in socio aliquo, quod sit Superiori manifestandum, sive in missione, sive in itinere; sive domi, sive foris. 4. An audiveris aliquid, quod scire expediat Superiorem, ut bono communi provideat, aut periculo alicujus. 5. An amicitiam particularem foveas cum aliquo, & quam ob causam.

Ad XIII. Etsi licet, juxta declarationem P. Claudii Anno 1584. 25. Septembris scriptam, non indicare Superiori, si ab eo aversus sis; sed dicere in genere: sum aversus à quibusdam Superioribus: longè tamen utiliùs, perfectiùsque est, sincerè & modestè aperire ea, ob quæ à Superiore ipso, cui reddis conscientiaè rationem, offensus es, & quæ tibi in eo displicent: ita enim faciliùs ab amaritudine animi liberaberis: nam vel ille ostendet se justè id fecisse, quod fecit; & unde tu concepisti averfionem, & sic eam abiget; vel condescendendo fragilitati tuæ amovebit causam, vel occasionem tuæ perturbationis, si amoveri queat, vel alio modo te contentum, quietumque reddet.

Ad XIV. Hoc ultimū caput non indiget explicatione, quia verba sunt clara. Pra-